



Sanctus Gallus cum D. Columbanus ex Britan-
nia in Germaniam ad Rhenum sitam peruenie-
runt ut eius regionis incolas in Christiana doctri-
na partim instruerent partim confirmarent. Erant
enim homines sanctitate & omnis generis erudi-
tione clarissimi. Cum autem aliquandiu ibidem con-
stitissent, tandem anno Christi sexcentesimo deci-
moquarto ad lacum Podmicum profecti sunt, atque
per triennium unam Christum praedicarunt. Postea
verò Columbanus, qui ætate Gallum superabat,
ad alpes Rhetorum penetrat, atque S. Gallo homi-
nes ad lacum Brigantinum habitantes, comen-
dat. Itaque S. Gallus magna constantia per annos

sedecim homines eius loci diligenter in fide Christiana instituit atque Idolis
destructis, ueram Ecclesiam Dei ordinauit. Ut autem id commodius fieri pos-
set, auxilio regum Francorum Dagoberti & Sigeberti Cellam à se denomina-
tam, Anno 630 erexit, & publicam adolescentum scholam instituit, ut in omnibus
literis instructi, commodius Ecclesijs præesse, & rudem populum in uera
fide instruere possent. Id autem uenia Vuilperti eius loci pastoris faciebat, ne
quid temere suscepisse uideretur. habebat etiam Vuilmaram Ecclesiæ Arbo-
nensis ministrum, sui instituti fidelem adiutorem, qui saepius conuenientes, de
rebus, ad Ecclesiæ tranquillitatem pertinentibus, inter se conferebant. In pri-
mis autem otium detestabatur, adeo ut etiam eo tempore (cum prælegendis
bonis authoribus, aut habendis ad populum sermonibus uacaret) piscibus ca-
piendis operam daret, ut seipsum & suos discipulos nutriret. Huius mudi pom-
pam atque perituras opes contemnebat. Propterea paternas ditiones relique-
rat, atque oblatum Constantensem Episcopatum à duce Sueorum Gonzo-
ne repudiabat, eumque Iohanni discipulo relinquebat.